QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN Scholis Medicorum die Martis 6. Februarij, M. Henrico de Monanthueil, Mathematicarum Profeſſore Regio, Moderatore.

An morbi & curationis principia ſint paria?

M ORBORVM *quinque genera, nec plura: Materiæ immoderatio, intemperies, formæ corruptela, difformitas, ſolutio continui. Sanitatum ſunt totidem his contraria. Horum omnium principia ſunt quinque, nec plura: Natura,* ἔλλειψις, πλεονασμός, *violentia, cœlum: Natura & cœlum omnium in omnibus, occulte & ſenſim, aliquando repente, violentia euidentiſſime,* πλεονασμὸς *frequentiſſime,* ἔλλειψις *rariſſime:* Ἔλλειψις *pauciſſimos interficit; violentia multos;* πλεονασμὸς *plurimos:* Πλεονασμὸς *pauciſſimos curat, violentia multos,* ἔλλειψις *plurimos: Omnium vſus; Omnium abuſus: Quantitas & occaſio vtendi difficillima: hæc decernens ante ſibi perſpectam ſanitatis & morbi ſpeciem infimam, cauſam proximam, locum affectum, peccat in opificium Dei & Naturæ: Natura autem in homine eſt anima rationalis cum ſuis inſtrumentis, quæ morbum vt omnem admittit, ſic curat, ſed nunquam ſola.*

E ΛΛΕΙΨΙΣ *eſt priuatio eius quod ſecundum, vel contra naturam adeſt:* ἔλλειψιν *facit naturæ imbecillitas, labor cibum & potum ſuperans, obſtructio, venus, vigilia, animi perturbatio, medicamentum, cœlum;* ἐλλείψεως *morbi ſunt fames, ſitis, atrophia, paralyſis, conuulſio, tabes, ſenectus ipſa; his omnis violentia certa pernicies, vt in fame & ſiti labor; ſed tamen atrophiæ* ἐπίχυσις, *vt obſtructioni medicamentum vtile; his ſalus, cibus, potus, appulſio deficientis,* πλεονασμός: *Omnibus temperatum cœlum, & hyemes ſerenæ optandæ, ſicut & venti Orientales, Solis per Arietem, Taurum, Geminos, progreſſus; Solis, Iouis, Veneris, amicabiles congreſſus: Luna creſcens & diametra: dies ab aurora vſque ad tertiam inæqualem: Regio ſpectans ad Orientem tecta contra Auſtrum, Boream, Zephyrum.*

Π ΛΕΟΝΑΣΜΟΣ *eſt eius quod ſecundum, vel contra naturam abeſt præſentia: huius morbi non ſunt numerabiles, dum cibus, potus, ſomnus laborem ſuperant, Cœlum intemperatum eſt, & natura pigra: Ab his frequentiſſime plethora, cacochymia,* ῥεῦμα ὁρμώμενον, ζωιστάμενον, *congeſtio, quorum morbos ægri intemperantia natos Æſculapius ſciens curare merito noluit; Herodicus diæta curans, longam mortem fecit: Hippocrates & Galenus, omnes (niſi prorſus deſperatos) miſericorditer curabant:* ἐν τῇ σχέσει, *victu, labore, lenibus pharmacis;* ἐν τῇ ἕξει, *remediis* μοχλάδησι, *ſectione, vſtione, elleboriſmo, longo vſu alimenti in medicamento, medicamenti in alimento, ſudorificis: An his recte recentes adiungerent Chymica? An horum proprius debet eſſe artifex? Nulla* μοχλῶδη *libenter vſurpanda in ortu & occaſu aſtrorum, In ſolſtitiis, In æquinoctiis, In diebus imparibus: Medicamentum non propinandum Luna ſignum ruminans, ſed aquaticum peragrante: vt membrum nec vrendum, nec ſecandum, dum ea eſt in ſigno membri domino.*

V IOLENTIA *eſt vis extrinſecus illata cum materiali alicuius qualitate, vel figura: Violenta ſunt dura, vrentia, ſecantia, morſus, & puncturæ animalium: Ex his ieiunorum, & aculeorum quàm dentium nocentiores: ita ferri illiti vulnera ſunt lethalia, etiam non illiti in cerebro, corde, ventriculo, aorta, & magna vena: Luxatio dorſi intus foras non fit: foris intro incurabilis. vnius vertebræ plurium grauior: à dentis luxatione, & eius medullæ punctura, repentina mors: Luxatio magnorum articulorum, & fractio magnorum oſſium periculoſa: has alia violentia ſanat, ad quam Polyſpaſton Archimedis, & Gloſſocomion Hippocratis, ſunt aptiſſima* μηχανήματα: *Dentiducus conſtans duobus vectibus alternatim iunctis in vno hypomochlio, dentem rectius eximit, quàm digiti ſoli: Plurimis* πλεονασμοῦ *morbis violentia certa ſalus: Plethoram adimit larga venæ ſectio: Colicum dolorem ampla cucurbitula: Suppuratis confert ſectio, & vſtio Memphitica: Arthriticis linguæ: peſte affectis ſurarum & femorum multæ & altæ ſcarificationes*

C OELVM *agit in hominem motu, lumine, vi propria vnius ſtellæ, & plurium præſertim erraticarum inter ſe, & cum fixis iuncta: Idem facit annum, anni tempora; menſes, hebdomadas, dies; Nullum tamen horum integrum: Singulorum* διχοτομίαις *magnæ mutationes; vt his & pleiadum, canis, arcturi, fauonij ortu vel occaſu annus in nouem partes apte diſtinguatur: Ver ſaluberrimum vna eſt; æſtatis acutiſſimorum feracis tres; autumni lethaliſſimi duæ; hyemis frigidis &* πλεονασμοῦ *morbis fœcundi tres: Omnium tamen ſalubritas, ſi* ὡραίως; *inſalubritas ſi* ἀνωραίως. *Eſt & aër à cœlo* μέγιστος δυνάστης *corporum & ventriculorum; factus frigidus, æſtuoſus; purus, turbidus: tranquillus, ventoſus: pluuioſus, ſiccus,* θείου τινὸς *particeps; peſtilens: Aëris mutationes leuiter inchoatas ſympathia ſentiunt & præcauent paſſerculi, ranæ, formicæ, hyrundines, erinacei: Obſeruatione meteororum, Sole in cardinibus exiſtente, Lunæ fulgentis colore & figura, nebula inter Aſinos viſa; vtiliter agricolæ, & nautæ: Medicus, qui cum Hippocrate aſtronomiam non minimam, ſed maximam Medicinæ partem eſſe duxerit, longe ante quam fiant præuidens, ſanitatem & morbos vt certius dignoſcet, ita & tutius cœlo ineuitabili vel omnia alia opponens, vel conſocians procurabit.*

Ergo morbi & curationis principia ſunt paria.

Proponebat MATHVRINVS CHEVALLOT Carnutenſis Meduntanus anno. 1597.

F.M.P. BIBL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus d'Amboiſe Med. Reg.
M. Iacobus Couſinot.
M. Petrus Seguin Prof. Reg.
M. Petrus Pijard.
M. Nicolaus Iabot.
M. Anthonius de Cappe
M. Bartholomeus Perdulcis.
M. Ioannes Martin Med. Reg.
M. Claudius Baſin.